MONUMENTUM

PUBLICAE LAETITIAE

ANGELI CIAMPI

PROFESSORIS PHILOSOPHIAE AC SYNTHESIS IN LYCEO SALVATORIS, PHYSICAE AC MATHESEOS IN ARCHIEPISCOPALI GYMNASIO, SOCII HERCULANENSIS ACADEMIAE.

NEAPOLI

EX TYPOGRAPHIA TRAMATERIANA

AN. MDCCCXXXIII.

Aloysio Ruffo e Principibus Scyllae S.R.E. Cardinali Neapolitanorum Pontifici e vivis rapto XVI. *Kal. Decembr. an.* MDCCCXXXII. *successit in Archiepiscopali Cathedra prid. Id. Mai. an.* MDCCCXXXIII. *Philippus Iudex Caracciolus e Principibus Villae Antistes Melphitensium , qui a Gregorio XVI Pontifice Maximo inter Patres Cardinales relatus amplissimae dignitatis insignia Neapoli solemni apparatu accepit a Ferdinando II. Siciliarum Rege prid. Id. Aug. an.* MDCCCXXXIII.

Eximium, ac singulare factum omnium oculos in se convertit, communemque admirationem, ac laetitiam excitavit, vel quia purpura tam cito fulsit, qui tres ante menses

ad praeclarissimam Italiae Ecclesiam translatus fuerat, vel quia pari honore nuperrime micuerat neapolitanus alter civis ornatissimus Franciscus Serra e Ducibus Cassani Campanorum Pontifex, vel quia post exemplum Dominici Orsini e Ducibus Gravinae, quod accidit an. MDCCXLIII. *tunc primum splendidissimae dignitatis ornamenta Neapoli tradita sunt, vel quia denique memoria temporum redibat, in quibus nec Seraphino Philangerio, nec Vincentio Monfortio, neapolitanis licet Archiepiscopis nobili genere, et singulari virtutum splendore praestantibus, inter Purpuratos Patres cooptari contigit.*

Hinc videre est quanta sit nostrorum temporum felicitas, quantaque utriusque potestatis concordia, quae sane communi sapientiae, ac moderationi tribuenda est. Memoriae eximii, ac singularis facti publicae hoc laetitiae monumentum dedicatur.

GREGORIO XVI.

PONTIFICI MAXIMO

COMMUNI CATHOLICI NOMINIS PARENTI

Praesul maxime, praesulumque praesul,
A quo Ecclesia tota mutuatur
Quam communicat his, et his salutem;
Orbis si tibi debet universus
Quod lucis iubar undecumque spargis,
Debet praecipue auspicatiore
Luce quae micat, eminetque Syren.
Dum demtum sibi praesulem dolebat,
Ut solet pia nata, cui parentes
Manu sustulit Atropos rapaci;
Qui solus potes, erigisque solus
Rite qui tibi supplicant iacentes,

Urbem non modo delicatiorem
Donas praesule praesulum nitore,
Sed addis decori decus, novoque
Donas murice purpura nitenti.
O mirae specimen benignitatis!
Non haec, non veniens silebit aetas.
Vulgo dant homines minus petito,
Plus dant Numina sola, quam rogantur.

FERDINANDO II.

UTRIUSQUE SICILIAE REGI

PIO FELICI AUGUSTO.

Rex regum soboles, decusque regum,
Qui vernantibus explicas in annis
Quam rex in populis senex regendis
Nullus explicuit sagacitatem;
Centum si tibi, milliesque centum
Pro factis bene gratias rependit,
Pro asserta sibi dignitate Syren
Unum te modo vindicem salutat.
Rapto praesule, purpuraque rapta
Ruffi in funere, fletibus rigabat
Genas pallidulas, venustulasque :
Tu luctu haud sinis obrutam iacere:

Accurrit cito te petente Praesul,
Quo non sanctior est, peritiorque,
Atque hunc purpura te statim petente
Ornat pulchrior, eminentiorque.
Te, gesta et tua firmiore plectro
Dicat qui Aonio calet furore:
Lene ego ingenium, piumque laudo.
Tam te Pontifici probare nosti!
Tanta te pietas movet, cietque!
Magnus Rex homini solet placere,
Placet Rex homini pius, Deoque.

CLARISSIMO ATQUE EMINENTISSIMO VIRO

PHILIPPO IUDICI CARACCIOLO

E PRINCIPIBUS VILLAE

ARCHIEPISCOPO NEAPOLITANO

IN

COLLEGIUM

PATRUM CARDINALIUM

ADLECTO

EQUESTRIS ORDINIS

FRANCISCI I.

MAGNO TORQUE

CONDECORATO.

Praestantissime praesulum, quot esse
Vident tempora nostra, quotque vidit
Aetas pulchrior, innocentiorque;
Dum plaudit tibi quisque, praedicatque
Genus dotibus inclytum trecentis,
Clemens ingenium, integrosque mores,
Et quae munera sponte te sequuntur,

Et quos praecipis hinc, et hinc favores;
Stupet te mea, non canit Camoena,
Non plaudit tibi, iure gratulatur.
Dum te gloria circuit, tuamque
Spargit lumine puriore frontem,
Auget Rex titulis, honoribusque,
Sacro murice Pontifex coronat,
Et suum populi vocant leporem ;
Nil tantum decus excitat, nihilque
Tantus te quatit, erigitque plausus !
Laus est principibus viris placere,
Fungi munera delicatiora,
Ornari titulis, suis probari;
At flecti nihil his, nihilque tangi
Haec est gloria summa gloriarum.

CLARISSIMO ATQUE EXCELLENTISSIMO VIRO

MARCHIONI IOANNI DE ANDREA

EQUESTRIUM ORDINUM
CONSTANTINI FRANCISCI I. ET S. IOANNIS HIEROSOLYMITANI
MAGNIS TORQUIBUS
S. IOSEPHI AB ETRURIA ET S. GREGORII MAGNI
AMPLISSIMIS ZONIS EXORNATO
FERDINANDI II. SICILIARUM REGIS A SECRETIS STATUS
AB AERARIO A NEGOTIIS ECCLESIASTICIS
IN PACTIS CONVENTIS INTER PIUM VII. ET FERDINANDUM I. EXPEDIENDIS
LIBERIS MANDATIS MUNITO
PLURIUM ACADEMIARUM SOCIO.

Quo te nomine, Marchio, salutem
Nescit quae mea te canit Thalia.
Genus sanguine, litterisque clarum,
Fides candida, mobilisque nunquam,
Et vitae integritas, leporque morum,
Et per te ad veterem vocata cultum
Siccis rustica veritas capillis

Dant, quibus bene quisque te salutet,
Centum nomina, centiesque centum.
Quid quod singula, quae expedis, videntur
Novum protinus arrogare nomen?
Rectam si Themidis tenere lancem
Negant tempora, deseris, latesque;
At sic, dum latitas, vacas Minervae,
Ut per otia grata litterarum
Quae prosint populis pares, tuumque
Aeterna caput implicent corona.
Si licentia, calculusque mendax
Opes distrahit, atteritque regni,
Tam reddis catus, aggerisque solers,
Privato ut nihil hinc dolente censu
Communis cito census augeatur.
Ignorantia, vel furor profanis
Permiscet sacra, concitatque turbas?
Profanis sacra dividis, statimque,
Sartis iuribus hinc, et hinc, potestas
Suis utraque finibus tenetur.
Orba praesule, purpuraque Syren,
Quod decus dolet occidisse, poscit?